CAP. II.

Ut tempora quæ Latinis literis deſignantur apertius ſcribantur.

ILlud quoque adjicimus, quoniam hi qui tempus in judiciis [1] deſignant, cum incertis illis, & antiquis [2] literis hæc declarant, obſervetur in omni judicio, ut poſt illas literas antiquitatis alias ſubdant, id eſt, has communes [3] & omnibus notas, & quæ legi ab omnibus facile poſſunt, & ſignificare geſtorum tempus, ut non fatigentur requirentes id tempus: deinde errantes expectent, donec hominem quemcunque comperiant literas illas pro veritate lecturum, ſed ſi quidem reliqua etiam poſt præſcriptionem incertarum literarum, ſi Græcæ ſint vocis, Græcis literis, ſubdi tempus: ſi vero Latinus quidem totius chartæ conſiſtat ordo, Latinis quidem ſubſcribatur tempus, interpoſitis iſtis incertis elementis: clariorem tamen ordinem habentibus literis, quas liceat omnibus legere omnino ſyllabarum Latinarum non ignaris.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem, & in hac maxima civitate, & in provinciis univerſis quibus præes, manifeſta conſtituat: ut nullus præſumat aliter numerare tempus, aut aliud agere, ſed ita ſicut dudum decrevimus. Datum Kal. Sept. *Conſtantinop.* imperante Juſtiniano perpetuo Auguſto, anno XI. poſt conſulatum BELIS. V. C. anno II. [4].

TIT. III.

DE [5] JUREJURANDO [6] A MORIENTE PRÆSTITO, PROPTER [7] MENSURAM [8] SUÆ SUBSTANTIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XLVIII.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

SEmper hanc unam habemus intentionem, diſpoſitiones morientium eſſe firmas: niſi reſultent [9] legi, & aperte contrariæ ſint iis, quæ illi placent. Scimus igitur [10] motum & annunciatum nobis, quia cum teſtaretur quidam, cum jurejurando ſuam ſubſtantiam omnem dixit [11], & quia hanc ſolam reliquit ſuis heredibus, aliqui vero eorum heredum ad hoc [12] reſultant, non juſte facientes: quia [13] ſubſtantiæ quidem illius heredes fiunt, & in hoc acquieſcunt iis quæ ab eo diſpoſita ſunt: quæ vero dixit cum jurejurando, nequaquam hæc rata manere, neque cuſtodire ea ſecundum competentem modum volunt: cum utique noſtris videtur legibus unam [14] quodammodo eſſe perſonam heredis, & ejus qui in eum tranſmittit hereditatem: ideoque nullus eidem ſibimet edicit reluctari, & quod dixit atque juravit ratum eſſe, hoc nolle valere, ſed contra proprios reluctari ſermones.

CAP. I.

SAncimus [15] igitur, ſi quis deſcriptionem [16] faciens, ſive propria manu ſive per [17] alterius quidem ſcripturam, a ſe autem ſubſcriptam, aut in ſuis teſtamentis ſubſtantiæ ſuæ menſuram faciat manifeſtam, heredibus forte aliis quidem præſentibus, aliis vero abſentibus, aut etiam omnibus præſentibus: non licere heredibus contra hoc reſultare, neque dicere quia aliquis heredum celaverit res extra ea quæ dicta ſunt a defuncto. Sed ſi quidem jusjurandum moriens præbuerit, & juraverit [18] ſecundum [19] ſua teſtamenta, quia nihil eſt aliud ei præter hæc: hoc amplecti heredes, ſive filii, ſive etiam extranei ſint, & neque tergiverſari, neque calumniari ſuos coheredes, neque ob hoc ſervos quærere ad tormenta deducere, & alia ſimilia diſcutere & perſcrutari, quæ ſolius ſunt contentionis, alterius autem penitus nullius, utpote dum ſubſtantia videatur eſſe tanta, quantam teſtator jurans, hanc ſolam apud heredes inveniri voluit. §. 1. Sed hæc quidem inter heredes qui curioſi videntur in defuncti eſſe ſubſtantia, valere volumus: non tamen hoc ratum eſſe & inter [20] creditores: eo quod noſtris declaratum eſt legibus, quæcunque quilibet pro [21] ſe dixerit, aut ſcripſerit, hæc nihil ei prodeſſe, neque creditoribus præjudicare: ſed illis licentia ſit omnia perſcrutari quo volunt modo: heredes autem contentos [22] eſſe iis quæ a teſtatore dicta ſunt. Sitque [23] pœna negotii inter heredes, ut qui adverſatur iis quæ relicta ſunt, eis non poſſit omnino frui: neceſſitate imminente aut obedire omnibus, aut univerſa contemnere, & non hæc quidem eligere, his vero reſultare, ſed defuncti voluntatem ab ejus ſucceſſoribus ita ſervari, ut in nullo ei contradici præſumatur. His valentibus in reliquo tempore univerſo, & in omni negotio nondum moto in judicio, neque [24] judiciali ſententia aut interventione amicabili tranſacto.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis & per hanc ſacram declarata ſunt legem, cognoſcens, ſolenniter per programmata propria manifeſta faciat univerſis. Dat. 10. Kal. Septemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum BELIS. V. C. anno ſecundo [25].

TIT. IV.

DE [26] HIS QUI INGREDIUNTUR AD APPELLATIONEM: ET QUANDO PER SCRIPTURAM [27] MANUS PROPRIÆ [28] FIAT COLLATIO LITTERARUM: ET DE JUREJURANDO DILATIONIS [29]: ET UT CONJUNGANTUR JUREJURANDO [30] CALUMNIÆ [31].

NOVELLA CONSTIT. XLIX.

Imp. Juſtin. Aug. Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

VOlubile [32] hoc & humanum, & quod manere idem nunquam valet, ſed fit quidem ſemper, manet autem nunquam: & legislationibus introducit aliquem tumultum, & iis quæ videntur ſe habere recte & firme poſita judicantur. Sed & ea quæ ſubtili obſervatione cauta ſunt, plerumque turbavit emergentium varietas cauſarum. Scimus enim [33] hoc quod male & doloſe circa appellationes agebatur: quia hoc ſolo ut cognitionem introducerent in judicium appellantes contenti, & perſonam facientes firmam, aut per [34] unam partem, aut etiam per cognitionem (hoc enim indifferens eſt) relinquebant cauſam: & victori omnino erat inexplicabilis victoria, non valenti neque iis quæ erant judicata, frui propter appellationem, neque appellationem examinari poſſe propter abſentiam appellantis.

§. 1. Hæc nos dudum ſancientes correximus [35], annum [36] quidem deputantes appellationem offerenti, ſive ipſi ſecundum ſe ingredienti, ſive communiter: quatenus intra hunc litem exequatur, & mereatur quæ juſta ſunt, & non relinquat ea ſine proviſione, deinde propter clementiam, ſi per occaſionem judicis appellatio prolongetur, aut per aliam quamlibet cauſam inevitabilem, etiam alium adjicientes annum: poſt quem niſi litem compleverint, ratam manere victoris ſententiam ſancimus. Hæc itaque placuerunt nobis, & communi lege conſcripta ſunt: & obtinere legem hanc volumus & obſervationem illius.

§. 2. Sed plurimi interpellaverunt nos, dicentes ſe quidem denunciaſſe appellationes, & voluiſſe litem examinari: non tamen ab ipſis judicibus impetrare valuiſſe, propter quaſdam forſan inevitabiles occupationes. Alii vero etiam venientem [37] immenſitatem accuſaverunt: & quia navigare non licuiſſet de provincia, contrariis flantibus ventis: per terram vero venire non valentes propter longitudinem, aut certe quia in inſula commanentes, aliter niſi per mare venire non poterant: & propterea non valuerunt examinare uſque ad finem negotium, neque ſecundo anno: & quidam tempeſtatem acceperunt, alii languorem inevitabilem, quæ omnia ex ipſis agnoſcimus rebus nobis inſinuatis. Unde nos hæc juſte moverunt, & legem tranſcendere nolentes, & iis qui per talem quandam fortunæ circumventionem laboraverunt, dare præſidium poſſibile cupientes.

CAP. I.

Ut imminente biennii fine appellationis cauſa pertractetur.

QUid ergo agere oportebat, niſi ad legem aliam reſpicere, quæ digne cauſam juvaret? Obſervatio ſi quidem reliqua prædictæ legis noſtræ (ſicuti prædiximus) per omnia cuſtodiatur. Si vero pro veritate inevitabile quiddam evenerit: & qui appellationis litem exequitur [38], non obſervet: & ſi [39] ingreſſum & fatalem fecerit, non occurrat: & periclitetur [40] biennii compendio tempus: tunc confirmari [41] victoris ſententiam, (quod etiam prior noſtra dicit lex) ſed cum quadam ſubdiviſione, quam in præſenti adjicimus. Quia enim victores juvimus immenſitatem temporis fingentes iis qui appellationem quidem & per [42] fatalem ingrediuntur, non tamen ulterius examinationem ſubire volunt, ac tempus in mediis certaminibus relinquunt eam, propterea parvo quodam victores minuentes, conſideravimus bene forte quod decet. Volumus etenim eum qui vicit cauſam, ſi voluerit pro [43] veritate firmari ſententiam: non ex circumventione, nec tempore quodam, ſed ex ipſa rerum veritate (etiam deſerente eo qui appellationem obtulit) ingredi: & hoc ipſum accuſare [44] & quærere deſertorem: & [45] ſive invenire eum valuerit, ſive ille non appareat, ſuas allegationes deducere ad medium: quippe

1 In monumentis publicis dixit Jul. *cap.* 179. hoc ſenſu: ut ne qui ſcribunt tempora in monumentis publicis, utantur illis literis veteribus & obſcuris, ſed per Græcas literas tempora ſcribant, ſi monumenta Græce compoſita ſint: ſin Latine, Latinis literis, & quidem claris, ut poſſint a quocunque Latino literato cognoſci. 2 Antiquas vocat literas puta C. averſum, hoc modo Ͻ, ad inſtar apoſtrophi, & I. & V: hoc modo IV. pro quatuor: & π inter ſe Ͻ complectens pro 50. 3 Juſtinianus jubet numerorum & temporum notationes eſſe [illegible] [illegible]

hæc eſt, ut hereditatem amittat. 24 Julianus hic notat, hanc conſtitutionem non ſolum in futuris, ſed etiam in cauſis adhuc pendentibus tenere. 25 Id eſt, anno 537.

26 Περὶ τῶν εἰσιόντων τὴν ἔκκλητον ῥέων. *Scrimg.* id eſt, de reis, qui ingrediuntur ad appellandum. De temporibus appellationum. Jul. *conſt.* 44. de appellationibus. *Index Reginæ apud Cujac.* vide *cap.* 1. *J. eod.* 27 Περὶ ἰδιοχείρων προκομιζομένων ὑπὸ τοῦ ἐναγομένου. *Scrimg.* id eſt, de privatis ſcripturis prolatis ab eo, quo cum agitur. De comparatione literarum, ſive ex prolatione inſtrumenti, ſive ex chirographo. Jul. *hic n.* 182. De privatis ſcripturis. *Index Reginæ apud Cujac.* vide *c.* 2. *J. eod.* 28 Privatæ. 29 Index Reginæ apud Cujac. περὶ τοῦ ὅρκου τῆς ὑποθέσεως. 30 *Scrimger.* Index Reginæ de jurejurando propter calumniam dando, vel propter dilationes petendas aut probationes exigendas. Jul. *conſt.* 44. *n.* 183. vid. *cap.* 3. *J. eod.* 31 Additur in Scrimgeri editione & in Indice Reginæ, & ut ſemel tantum pro omni probatione juretur. 32 Τὸ ῥευστὸν, id eſt, fluxus. 33 *l. ult.* §. 4. *C. de temp. appell.* 34 Ἢ κατὰ μίαν μοῖραν. *Nov.* 53. *cap.* 4. *l. ult. ff. ad SC. Treb.* 35 *d.* §. 4. 36 Appellationis cauſa intra annum finienda. 37 Venti contrarii navigationi moram excuſant. adde *l.* 2. §. 3. *ff. ſi quis cautionibus.* 38 Id eſt, & ſi condemnatus priori judicio non comparuerit. *Goth.* De temporibus appellat. & ad hanc Novell. vide Rittershuſ. *in expoſit. Nov. part.* 10. *cap.* 3. Anſ. 39 Καὶ τοι τὴν εἴσοδον κατὰ κυρίαν ποιησάμενος οὐκ ἀπαντήσει, id eſt, & neque ingreſſus fuerit, ſeu comparuerit ad diem præfixum. Nam quas Græci κυρίας ἡμέρας dixere, 12. tabulæ appellant ſtatos dies, ſtata tempora, Galli *jours prefixs, jours d'aſſignation.* Num bene hic fatales dies? Bodinus 3. *Reip.* 6. non putat. errori cauſam dediſſe cenſet, quod qui ex Græco Latinas fecerunt has conſtitutiones, videantur legiſſe κηρίας ἡμέρας pro κυρίας. vide *l.* 12. §. 7. *Cod. de ædificiis privatis.* κὴρ enim fatum ſignificare, ἐκ τοῦ κηρῶ τὸ ςερίσκω. κηρίαν vero fatalem diem. Demoſthenes contra Midiam, ἐπειδὴ ἧκεν ἡ κηρία τοῦ νόμου. & contra Stephanum κηρίαν ἐγγράψαι. & ad Nicoſtratum, ἡμέραν διαμετρημένην. Alii appellant ἡμέραν ἐμπρόθεσμον καὶ ὡρισμένην, ſtatuta tempora, *l.* 3. *Cod. de temp. appell.* Hinc Syneſius epiſtola ad Theophilum vocat ultimum vitæ diem κηρίαν. Plura vide apud Bodinum *dicto loco.* qua in re videtur parum diſſentire a Cujacio. adde, quæ de fato cauſarum ſcripſi ad *l.* 14. *C. de advocat. diverſ. jud.* 40 Id eſt, & periculum ſit, ne biennii tempus effluat. 41 Tacite. 42 Κατὰ κυρίαν, *au jour prefix, au propre jour qui a eſté prefix.* 43 Ταῖς ἀληθείαις, id eſt, ſi re vera. 44 Nota, quid victori agendum ſit apud *Ephetem* ſeu judicem appellationis, victo per biennium non proſequente cauſam appellationis. 45 Qui per biennium ceſſat in cauſa appellationis, litem deſeruiſſe dicitur.

biennio

biennio inſtante: ad finem tamen, ita ut unus forte ſuperſit negotio menſis: & ſiquidem apparuerit ſuperior, firmam eſſe ſententiam: ſi vero inferior circa [1] certamina, etiam eo qui appellationem obtulit, & fatale ingreſſus eſt, non obſervante cauſam, ſuſcipiat [2] ex jure decretum. Illo tantummodo adjecto, ut ſive obtineat cauſam is qui etiam prius vicit, ſive circa eam minor inveniatur, expenſas ei modis omnibus poſt appellationis ingreſſum factas deſertor præſtet. Sive namque obtineat cauſam occaſione expenſarum: ſecundum hoc ipſum quod etiam vincit, recte juſtum eſt etiam expenſas accipere: ſive minor inveniatur, eo quod omnino ille deſeruit: & contingit eum etiam deſerentem vincere: expenſas quidem præſtet: ſententia vero fruatur, gratias agens Deo, & præſenti legi ita juſtitiam ſibi ſervanti, & tantummodo in expenſas damnificanti: quibus non lex, ſed ipſe abſens ſe damnificavit. Si [3] vero neuter occurrit, neque victor, neque victus, qui etiam ſecundum fatalem ingreſſus, poſtea deſeruit, ſententia victoris maneat firma: omnibus reliquis ſuper appellationibus ſcriptis legibus, exiſtentibus & in ſpatiis temporum, & in aliis, hanc enim legem ſpecialiter ſuper iis qui poſt ingreſſum fatalis factum deſerunt, ponimus: nihil aliarum legum aut temporum appellativorum neque perimentes, neque permutantes: firmas igitur eas etiam per hanc ponentes legem. §. 1. Illud quoque determinare optimum eſt: ſiquidem victores contingit jam ſententiam promereri, firmas declarantem eorum victorias: his eos frui: nihil enim eorum quæ jam determinata ſunt, commovemus. Si vero hactenus pendent, biennio inſtante, & nondum tranſacto, & nondum decreto firmatæ: etiam iſtæ eandem mereantur examinationem: & ita potiantur victores ſententiis, ſi eas recte habere monſtraverint.

CAP. II.

Ut [4] ex ſolis documentis publice celebratis comparationes fiant, exceptis privatis, quibus adverſarius pro ſe utitur.

ILlud [5] etiam judicavimus huic oportere adjici legi: Quia enim dudum [6] ſcripſimus legem volentem ex propriæ [7] manus ſcriptura nullam fieri comparationem [8], ſed ex ſolis documentis publice celebratis: videmus autem cauſarum experimentum egere competenti correctione in lege: & hoc ex ipſo litigantium invenimus experimento: emendare eam ſecundum hoc volumus ſchema. Crebro namque proferens quidam cujusdam [9] manus documentum, & ex ea faciens aut conventionem, aut ſuarum allegationum probationem: cum ejusdem manus adverſa pars protuliſſet literas, & legitimam probationem exinde vellet fieri, ex quibus ipſe adverſarius illud obtulerat: ille utebatur lege [10], quia oportet ex publice confectis documentis fieri comparationem, & non ex aliis quæ a quoquam ſcribuntur. §. 1. Sancimus, ſi quando aliquid tale contigerit, & quiſpiam voluerit ſecundum eas quæ ab adverſario prolatæ ſunt literas, fieri examinationem, non accuſetur hoc tamquam non recte factum. Cui enim ipſe credidit, & quod protulit is contra quem & ex quo ſuas affirmat allegationes, hoc [11] non accuſet: neque prohibeat comparationem literarum ad eum fieri: licet contingat eſſe documentum manu cujuscunque [12] conſcriptum. Neque enim ipſe ſibi reſiſtit, & quæ affirmavit, hæc accuſabit. §. 2. Si vero etiam ex publicis archivis proferatur charta, velut [13] de ſuſcepto deſcriptio, menſæ glorioſiſſimorum præfectorum [14]: (novimus enim etiam aliquid tale quæſitum) & quod ex publicis archivis profertur, & publicum habet teſtimonium, etiam ſuſceptibile hoc eſſe ad collationes manuum ponimus [15]. Ubique enim falſitatis peccatum odio habentes, & [16] jusjurandum [17] præbere diſcutientes, & eximentes literas ſancimus, & ex publicis ſolummodo documentis comparationem fieri permiſimus [18]. Quapropter valeat per omnia lex illa præſenti ſubdiviſione delata [19] ei, jurejurando tamen comparantium [20] modis omnibus prohibendo [21].

CAP. III.

De [22] juramento præſentis hypotheſis cum juramento calumniæ jungendo [23].

QUia [24] igitur nos pro reverentia litigantium volumus mox in principio [25] litis jurare litigantes: actores quidem, *quia [26] non calumniantes inferant lites:* fugientes [27] vero, *quia credunt ſatisfactionem competenter ſe facere, & non cauſa contentionis:* & hanc communem poſuimus legem contra omnem perſonam, modis omnibus hoc nulli concedentes. Illud quoque adjicimus, ut ſi quis probationem petierit, quanquam ſuorum ſermonum aut literarum: juret prius, *quia [28] non dilationis cauſa hoc agit.* multi namque ſola injuriæ cauſa, & maxime ſuper nobilibus mulieribus, ſive literarum probatio objiciatur, ſive alia quælibet cauſa, ad jusjurandum hoc concurrunt: ut in uno negotio frequenter jusjurandum præbeatur. §. 1. Sancimus igitur, hanc perimentes injuriam, & nolentes crebro [29] in eodem negotio jusjurandum præberi: ut utraque [30] pars, dum una quidem *de calumnia ſacramentum* præbuerit, alia vero *quia juſtam putans reluctationem eſſe litis,* adjiciat, quia *in tota lite ſicubi quæſierit probationes adverſarium ſuum, non per occaſionem dilationis hoc faciat, ſed pro veritate: neceſſariam ſibi a ſuo adverſario exhibendam putans probationem:* & ſi hoc juraverit ſacramentum, nequaquam [31] penitus (licet crebro requirendæ ſint probationes) ab alterutra parte expeti ſacramentum: ſed dari probationes, & non crebro cogi quenquam ſacramenta ſubire, generaliter ſemel hujusmodi ſacramento prohibito [32].

EPILOGUS.

† Quæ igitur viſa ſunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem, tua celſitudo omnibus faciat manifeſta, edictis a ſe directis, ut omnes agnoſcant, quæ nobis ſunt placita. Dat. 15. Kal. Septembr. CP. poſt Conſ. BELIS. V. C.

TIT. V.

CONSTITUTIO AD BONUM [33] QUÆSTOREM EXERCITUS ORDINAT APPELLATIONES A QUINQUE PROVINCIIS, CARIA, ET CYPRO, ET CYCLADIBUS INSULIS, ET MYSIA, ET SCYTHIA, APUD QUEM OPORTET EAS EXAMINARI.

NOVELLA CONSTIT. L.

Idem Imperator Bono glorioſiſſimo quæſtori Juſtiniano exercitus.

PRÆFATIO.

SCimus antea divinam facientes conſtitutionem [34] ſecundum quam tuæ gloriæ tradidimus quinque has provincias, Cariam & Cyprum, & in circuitu poſitas inſulas, & ad hæc Myſiam, ſed & Scythiam, ad hoc ut functiones ſuſcipiant ſub tua gloria: addentes & evocatas factas lites per dictas provincias, non amplius ad glorioſiſſimos noſtros præfectos, ſed ad tuam remitti magnificentiam. Quoniam igitur multi adierunt nos ex Caria, & Rhodo, & Cypro, moleſte ferentes & dicentes cogi ſæpe & hyemis [35] tempore fieri ſecundum Scytharum & Myſorum [terram] ubi degis, & illic appellationes, forte neque [36] ſuper magnis pecuniis exercere & periclitari, & maria peragrantes longa, & appellentes in regiones a Barbaris infeſtatas: propter hoc perſpeximus hanc legem ſcribere ad tuam gloriam, ut venientes quidem ex Scythia & Myſia lites, tanquam ex propinquis exiſtentes, tua gloria per ſe audiat: alias vero, id eſt ex Caria, & prædictis inſulis, & Cypro, ſi quidem ab initio apud glorioſiſſimos noſtros præfectos ſunt, ex divina juſſione noſtra traditæ præfecturæ magiſtratui, ſiquidem adveneris in hanc regiam urbem, & ipſas ſub te moveri & examinari una cum glorioſiſſimo Quæſtore ſacri noſtri palatii in ſacro auditorio (quemadmodum & ſuper appellationibus, poſita introducit lex). §. 1. Si vero ipſe in Scythia & Myſia commoreris, apud eum qui locum implet tuum in hac felici urbe, introduci appellationes, omnino ſiquidem factum ipſum una cum glorioſiſſimo noſtro Quæſtore, hypotheſin [37] audire ſecundum harum examinationum ſchema, & minime homines dictas ſuſtinere dyſcolias [38], ſed ſub ipſis in communi, ſecundum a nobis prius dictum, judicari, propterea quod præbuerunt nobis cauſam, ut ita ordinaremus legem, ut cum majore & grandiore diligentia & auctoritate cauſæ exerceantur. §. 2. Si autem ipſe des judicem in prædictis ſuperius provinciis, is qui officium ſuſtinet tuum in hac felici civitate, audiet, prout & a glorioſiſſimo præfecto conſtitutum eſt. Si enim inchoari apud tuam gloriam contingat litem, hic, ut probabile eſt, inventam, poſtea vero in medio propter militares impenſas emigrare, ipſam abſque mora impleri apud tuum habentem officium, ſicut ipſam & ipſe audiſſes. Si vero ab initio non a glorioſiſſimis præfectis appellatio ex quibusdam provinciis remittatur, ſed in aliud judicium, antiquitatem omnino non innovamus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt, & per hanc ſacram manifeſtata ſunt legem, tua gloria operi & fini tradere, & cuſtodire in perpetuum, feſtinet. Datum 15. Kal. Septemb. CP. DN. JUSTIN. PP. A. Anno XI. [39] poſt BELIS. V. C. CONS. Indict. I.

1 Id eſt, in lite. 2 Id eſt, condemnabitur, & ita præſens abſenti poteſt condemnari: quoties ſcilicet jure deſtituitur, ſed tamen ceſſator & abſens ſemper condemnabitur in expenſas, ſive vincatur, ſive vincat. 3 Tacite confirmatur ſententia victoris poſt biennium. 4 De comparatione literarum ſive ex publico inſtrumento: ſive ex chirographo. Jul. *c.* 282. 5 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Ad hæc, C. de fide inſtrumentorum.* 6 Hoc eſt, quarto Codicis, Julian. *cap.* 182. Eſt autem *lex pen. Cod. de fide inſtrum.* 7 Id eſt, privatæ. 8 Niſi trium teſtium ſubſcriptiones habeant, & ipſi teſtes profiteantur ſe ſubſcripſiſſe: aut ſi propriam inficiantur manum, ex collatione literarum ab ipſis deſcriptarum convincantur, vide *l.* 16. *Cod. de fide inſtrument.* Goth. De comparatione literarum vide Rittershuſ. *part.* 9. *cap.* 25. Anſ. 9 Privati. Hoc tandem conſtituitur, non modo comparationem literarum fieri ex inſtrumento publico per tabellionem facto, ſed ex chartula ſine tabellione compoſita. Julian. *hic, num.* 182. dicendum apertius: Petis a me centum ex chirographo nomine meo a Titio conſcripto: nego juſtam eſſe petitionem, eoque fine profero chartam contrariam, quam profiteor ejusdem Titii manu perſcriptam, qua fateris, vel nullam a te numerationem factam fuiſſe, vel dicis cauſa chirographum (quod penes te habes) conſcriptum fuiſſe. Quid juris? actor ſuum ac meum chirographum recte poſtulabit comparari cum aliis Titii ſcripturis, licet privati ſit hominis ſcriptura, neque trium teſtium ſubſcriptione munita. Quid ſi talis ſcriptura ejusdem Titii manu reperiatur conſcripta? Actori probationes ad alias decurrendum erit. 10 *d. l.* 20. 11 Semel probatum improbari non debet. 12 Privati. 13 Οἷον ἀπόδειξις, puta apocha. 14 Prætorio ſc. 15 Comparationes literarum non fiunt, niſi juramento præſtito, ab his, quibus comparatio mandatur. adde *l.* 10. *in fin. Cod. de fide inſtrum.* 16 Senſus eſt: Apochas ex publica arca depromptas valere ad comparationem, licet non habeant ſubſcriptionem trium teſtium, nec ſint a tabellione confectæ, quia publicum teſtimonium habent. 17 Senſus eſt: Hominibus peritis & juratis committi onus comparandarum literarum, & earum recitationi ſtari, *l. penult. Cod. de fide inſtrum.* Literarum comparatores vocat Julianus *d. num.* 182. *in fin.* ubi male legitur *comparationes.* ἀντεξετάζοντας τὰ γράμματα Græci appellant. Scrimg. *hic.* 18 Non hoc vult, hodie ex ſolis publicis inſtrumentis fieri comparationem, eſſet enim ſibi contraria hæc conſtitutio. Sed quod antea conſtituit *d. l. penult.* comparatores literarum publicarum juratos admitti: hos etiam jurare cogi, ſicubi facienda erit comparatio inſtrumenti vel chirographi, non publici vel ſubſcriptione trium teſtium muniti. 19 Adhibita. 20 Id eſt, ab his, qui literas & ſcripturas aliquas inter ſe comparant. 21 Præſtando, atque ita comparatori literarum non creditur, niſi prius juratus fuerit. 22 Vid. *Nov. Leon.* 99. & 107. 23 De jurejurando propter calumniam dando, vel propter dilationes petendas aut probationes exigendas. Jul. *c.* 183. 24 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Hoc ſacramentum,* Authentica, *In iſto, Cod. de jurejur. propter calum.* 25 *l.* 2. *Cod. de jurejur. propter calumn.* 26 *Nov.* 75. *l.* 8. §. 5. *ff. qui ſatisd. l.* 9. §. 3. *ff. de edendo. l.* 44. §. 4. *ff. familiæ. l.* 15. *ff. ad exhib. l.* 34. §. 4. *l.* 37. *ff. de jurejur. l.* 11. §. 2. *ff. rerum amot. l.* 13. §. 3. *ff. de damno. l.* 1. *Cod. de jurejur. propter calumn. l.* 9. *Cod. de reb. credit. l. ult. C. de fidej. l. penult. C. quemadmod. teſtam. aper. l. ult. C. de quæſt.* Formulas jurisjurandi de calumnia, tum actori, tum reo uſitatas mox infra a nobis poſitas vide. 27 Jurare de calumnia quam ob cauſam rei coguntur. 28 Jurare debet, qui probationes ab adverſario exigit, ſe citra dilationis cauſam eas exigere. 29 Jurare in uno negotio pluries nemo cogitur. 30 Jurisjurandi de calumnia ſive ab actore, ſive a reo præſtandi, videtur hæc formula fuiſſe. Et quidem actoris hæc. Hanc litem, quam movi, calumniandi animo non movi, ſed exiſtimo, me bonam habere cauſam, nec dilationis, nec calumniæ cauſa, nec vexandi adverſarii cauſa probationes in tota hac cauſa ab adverſario meo ullas exigam. Reus vero juraſſe ſic videtur: Ego putans meam bonam inſtantiam cauſæ, ad contradicendum pervenio, nec dilationis, nec calumniæ cauſa, nec vexandi adverſarii gratia probationes in tota hac cauſa ab adverſario meo ullas exigam. 31 Jusjurandum unum ſufficit. 32 Ὅρκου διδομένου, præſtito, vel præſtando, vide Julian. *conſtit.* 84. *in fin.* omnes (inquit) comparatores literarum prius ſacramentum præſtent, & tunc deinde faciant comparationem.

33 De Bono quæſtore exercitus, vide quæ dixi ad *Novell.* 41. 34 *d. Novell.* 41. cui hæc derogat quod ad appellationes. 35 Navigatio hyeme periculoſa eſt. 36 Id eſt, in cauſis vilibus & non ita magni momenti. 37 Negotium & cauſam, litem. 38 Moleſtias. 39 Id eſt, anno 553.

NOVELL.

[Aa aa]

TIT.

TIT. VI.

SCENICAS [1] NON SOLUM SI FIDEJUSSORES [2] PRÆSTENT, SED ETIAM SI JUSJURANDUM [3] DENT, SINE PERICULO DISCEDERE.

NOVELLA CONSTIT. LI.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

NOvimus [4] pridem facientes legem [5] interdicentem *nulli licentiam eſſe in ſcenas detentas* [6] *mulieres fidejuſſores* [7] *exigere, quia obſervabunt* [8] *& impiam complebunt operationem*, pœnitentiæ tempus non habentes, & pœnas interminantem noviſſimas [9] his qui tales fidejuſſores exigunt: inſuper & ipſos fidejuſſores ſine obligatione reddere, & nullam inferri eis neceſſitatem perſonarum harum præſentationis. Sed in præſenti comperimus crudelem quandam & importabilem calumniam contra ſtudendam a nobis fieri caſtitatem. Quia enim eos fidejuſſores accipere prohibuimus, inveniſſe illos aliam viam ad impietatem deducentem majorem: jusjurandum [10] enim eas exigere, *quia nunquam ab impia illa & turpi operatione ceſſabunt:* mulieres autem exiſtentes miſeras, & ſic male ſeductas, pie agere ſe putare, ſi impie egerint: & ut cuſtodiant jusjurandum, propterea ſuam proſtituere caſtitatem: cum oporteret agnoſcere, quia hujusmodi [11] transgreſſiones magis placent Deo, quam jurisjurandi obſervationes. Non enim ſi quis ab aliquo jusjurandum acceperit: *quia* [12] *occidet forſitan, aut adulterabitur aut aliquid aget tale illicitum:* oporteret ſervari jusjurandum: utpote cum ſit ita turpe & illicitum, & ad perditionem ducens. Ideoque liceat mulieri, licet hujusmodi jusjurandum juraverit, recedere a jurisjurandi hujus amaritudine, & caſte vivere ſine periculo perjurii [13]: magis autem Deo amabiliter pœna perjurii (ſi qua omnino eſt pœna) contra eum qui jusjurandum exigit convertenda.

CAP. I.

UNde etiam nos repente inferimus decem librarum auri pœnam [14], exigentes eum qui præſumpſerit omnino tale jusjurandum accipere: & hanc ſcilicet quantitatem ipſi infelici dari mulieri ſancimus ad reliquam bonæ figuræ vitam, exigendam per adminiſtrationem provincialem, & dandam ei: ſciente judice, quia ſi neglexerit, tenebitur ab ea deponens adminiſtrationem, heredesque ejus & ſucceſſores & ejus ſubſtantia, eo quod actionem piam agere neglexerit.

§. 1. Si autem ipſe provinciæ præſes jusjurandum exegerit, ipſe etiam memoratam decem librarum auri pœnam exigatur: ſiquidem militaris judex ſit in illa provincia, per illum danda, ſicut dictum eſt mulieri. Si vero non habeat militarem judicem, metropoleos [15] illius provinciæ epiſcopus hoc provideat, cauſam etiam ad nos, ſi probaverit, referens: & inſuper ex [16] vicinis majoribus ſingulis: & undique hoc agentem, ſive judex, ſive privatus ſit, memorata caſtigari pœna, & dari hanc ei, quæ quantum ad illum neque caſte vivere valeat ulterius: ut non videatur quaſi pejeraſſe.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per præſentem ſacram declarata ſunt legem: tua celſitudo præceptionibus propriis omnibus faciat manifeſta: ut cognoſcant noſtri imperii circa caſtitatem ſtudium. Dat. Kal. Septemb. Imp. DN. JUSTIN. PP. Anno XI. poſt BELIS. V. C. CONS. Anno 2. [17]

TIT. VII.

UT NON FIANT PIGNORATIONES [18] PRO ALIIS PERSONIS: ET UT SICUT PRINCIPUM [19] DONATIONES NON EGENT GESTIS MONUMENTORUM, SIC NEC A PRIVATIS IMPERATORIBUS FACTÆ DONATIONES INDIGEANT.

NOVELLA CONSTIT. LII.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſimorum ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

INhoneſtas [20] pignorationes, & odibiles [21] ſuper his exactiones plurimæ quidem & aliæ leges odio habent: præcipue autem a nobis poſitæ: ſed neſcimus quemadmodum cauſa licet tantis caſtigata legislationibus, adhuc præſumitur, & in republica eſt, & majorem ſui præbet virtutem, quam legum neceſſitas.

CAP. I.

De pignoratione.

PRopterea [22] ſancimus nullam omnino pignorationem in noſtra republica prævalere, neque in mercatis [23] (hoc quod maxime ibi præſumptum invenimus) neque in agris, neque in civitatibus, neque in vicis, neque in civibus, neque in vicaneis [24], neque in agricolis, neque alio omnino quocunque modo vel tempore: ſed præſumentem alium pro alio ſecundum pignorationis formam, aurum aut aliquid aliud exigere, hoc reddere in quadruplum violentiam paſſo: & cadere etiam ab actione quam habuit adverſus eum, pro quo exactionem fecit. Non [25] enim habet rationem, alium quidem eſſe debitorem, alium vero exigi: ſed nec alteri moleſtum eſſe pro altero quodam tanquam invaſionem aut injuriam committentem: & alium quaſi vicaneum exiſtentem cædi, aut injuriam ſuſtinere, & aliquid pati, quod omnino non competit, pro alio: & abſque legitima occaſione quamlibet perferre calumniam: & ſupplicia [26] ſuſtinere in corpore præſidentibus gentium; ſcientibus quia ſi non hæc egerint, ſed in provinciis quibus præſunt, pignorationes præſumi patiantur: nihil erit tale quod a noſtris eos eripiat manibus.

CAP. II.

Ut donationes imperatori a privato homine factæ, non egeant inſinuatione.

ILlud [27] quoque perſpeximus huic adjicere legi: *Ut ſicut* [28] *ab imperio in alios factæ donationes non egent geſtis monumentorum, ſed ex hoc ipſo habent virtutem, ita neque a privatis, imperatoribus factæ* (niſi tantummodo pro veritate fiant in publico a tabellionibus completæ, ſubſcriptionem habentes & ejus qui fecit, & teſtium [29], & aliam donationum obſervationem) *non egebunt geſtis monumentorum, cujuscunque quantitatis ſint.* Non enim conſequens [30] eſt, ut nec his fruatur imperium a privatis, quæ ab eo præbentur illis. Hæc autem inæqualitas facta eſt ex novitate, quam Zenonis piæ memoriæ introduxit conſtitutio [31], *ut imperiales donationes non egeant monumentis.* Quia igitur imperfectius cauſa prius apparuit: propterea nos perfectionem imponentes ei, ex utroque tenere hoc volumus, & in his donationibus quæ ab imperatoribus in privatos fiunt, & quæ a privatis in imperatorem: ut ex æqualitate juſtitia cauſæ adjiciatur.

EPILOGUS.

† Tua igitur excellentia, quæ per hanc divinam noſtram conſtitutionem ſancita ſunt, præceptis propriis ſolenniter manifeſta facere ſtudeat univerſis. Dat. 10. Kal. Septemb. Imp. DN. JUSTIN. PP. A. Anno XI. poſt Conſ. BELIS. V. C. Anno ſecundo [32].

TIT. VIII.

DE [33] EXHIBENDIS ET INTRODUCENDIS [34] REIS: ET [35] UT HI QUI CONVENIUNTUR, POST VICESIMUM DIEM PRÆSENTENTUR JUDICIBUS: ET DE IIS QUI JURATORIAM [36] CAUTIONEM EXPONUNT ET ANTE LITIS CONTESTATIONEM ABSENTES FIUNT: ET DE HYPOTHECIS [37] QUÆ APPELLANTUR EX CASU: ET QUÆ PERSONÆ ET QUANDO HOC

1 Ut ſcenicæ mulieres non coartentur in eadem turpitudine manere, Jul. *conſt.* 45. de mulieribus ſcenicis, *Index Reginæ apud Cujac.* de ſcenicis, vid. *l.* 4. *Cod. de epiſc. aud.* 2 *Novell.* 14. 3 Ἐξωμοσίαν Græci appellant juratoriam cautionem, quæ & διωμοσία & ἀσφάλεια *Nov.* 22. *cap.* 44. §. 2. & ἐνώμοτος ὁμολογία. *Nov.* 112. *c.* 2. Hujusmodi juramentum ſubſidium eſt eorum, qui fidejuſſorem dare non poſſunt, *Nov.* 134. *c.* 9. vetat autem utrumque hic fieri Juſtinianus, fidejuſſorem dari & jurari. *Goth.* Vid. Rittershuſ. *part.* 12. *c.* 8. Anſ. 4 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Quod eis. C. de nupt.* 5 *l.* 29. *C. de nuptiis.* 6 Τὰς εἰς σκηνὴν κατιούσας γυναῖκας, hoc eſt, in ſcenam deſcendentes, ſcenicam vitam profeſſas. 7 Cur ita? Contra jus obligantur ſcortaturæ mulieres, ergo & ejus nequitiæ fidejuſſores, vid. *l.* 16. *ff. de fidejuſſorib.* 8 Ὥστε προσεδρεύουσι, hoc eſt, quod ibi aſſidebunt ac vivent. 9 Id eſt, extremas. 10 Turpis rei juramentum non obligat, *l.* 7. §. 16. *ff. de pact. l.* 112. §. 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 5. *C. de legib.* 11 Fidem in malis promiſſis non ſervare, Deo magis gratum eſt, quam ſervare. 12 Jurata promiſſio de interficiendo, de adulterio committendo & ſimilibus non obligat. 13 Non committit perjurium, qui ab infami juramento recedit. θεοὶ γὰρ ἐπὶ καλαῖς καὶ δικαίαις παραλαμβάνεσθαι φιλοῦσι ὁμολογίαις οὐκ αἰσχραῖς καὶ ἀδίκοις *Halic. II.* Suet. *in Tiberio.* Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, uxorem in ſtupro generi deprehenſam dimittere, quam ſe nunquam repudiaturum ante juraverat. 14 Pœna exigentis jusjurandum contra bonos mores. 15 Juramenta illicita epiſcopis curæ eſſe debent, ne ſcil. quemquam conſtringant aut obligent. 16 Ὁ ἐκ γειτόνων μείζων ἄρχων, hoc eſt, qui in vicinis provinciis major ſit militaris judex. hoc ſenſu, Si præſes infame juramentum exegerit a ſcenica muliere, vel meretrice, eam nimirum in meretricia vita futuram, decem auri libris multabitur: & earum exactio fiet officio militaris judicis. Quod ſi in ea provincia nullus erit militaris judex, metropolitanus civitatis Epiſcopus pœnam exiget, eique vicinæ provinciæ præſes favere debebit, forſitan imperio majore decoratus, quam ille præſes, qui tale flagitium admiſit. Idque facile diſcimus ita eſſe ex Juliani epitome *c.* 184. qua ignorata, vetus interpres vertit obſcure, ex vicinis majoribus ſingulis pro vicino præſide, & Ferrandus 2. *Explicationum* 40. perperam etiam id tantum refert ad judicem militarem viciniæ. Haloander vertit, vicinos magiſtratus. 17 Id eſt, anno 554.

18 Titulus ita conceptus eſt apud Græcos, περὶ τοῦ μήτε προσώπου, μήτε πράγματος, μήτε χρυσίου γίνεσθαι ἐνεχυριασμὸν, ἀλλὰ τὸ τετραπλάσιον ἀναδίδοσθαι τῷ ἐνεχυριασθέντι. καὶ περὶ τοῦ ἑτέρου ἀνθ' ἑτέρου ἢ πλήξαντος, ἢ ἄλλως ἐπηρεάσαντος, μήτε πλήττεσθαι μήτε ἄλλως ἐπηρεάσασθαι. *Scrimg.* id eſt, ne perſonæ, vel rei, vel pecuniæ pro alio fiant pignorationes: ſed pignoratione oblæſo quadruplum reſtituatur. Item, ne pro eo qui percuſſit, vel qui damnum irrogavit, alius percutiatur, aut qualitercunque damnum ſentiat, ut cives vel vicani pro aliis civibus ſuis vel vicanis non teneantur, Julian. *conſt.* 46. ut ne quis pro alio pignoratus ſatisfacere cogatur, *Index Reginæ apud Cujac.* Huc pertinet *Novell.* 134. *cap.* 7. &c. *Eclog.* περὶ ἐνεχυριαζόντων. De pignoratoribus *lib.* 25. *tit.* 3. *cap.* 5. *l.* 4. *Cod. de execut. l.* 1. *Cod. ut nullus ex vican. pro alienis vicaneorum debitis teneatur:* Caſſiod. 4. *variar. lect.* 3. *Cod. Longob. de deb.* & conſtitut. Neapolit. 8. *tit. de cultu pacis: & tit. de Repreſaliis puniendis.* His adde, quæ de ea re notavi ad *l.* 3. *Cod. de obligat.* Pignoratio autem eſt jus alium pro alio detinendi, Græcis ἐνεχυριασμός. *Scrimger. hic.* clarigationem etiam alii vocant, & repreſalias, *c. un. de injuriis in* 6. Galli *droit de marque:* de quo vide Guidonem Papæ *quæſt.* 33. Paponem 3. *Notar.* 8. *cap. des lettres de marque: &* 5. *Arreſt.* 3. *cap. du droit de marque:* quod in limitibus potiſſimum exerceatur, & eo utantur ad injurias regnicolis ac civibus in alienis regnis illatas vindicandas, erat autem apud Græcos ἀνδρολήψιον. Licebat enim civitati interfecti hominis tres capere ex ea civitate, in quam interfector confugiſſet, ſi tamen is non reddebatur, vide Demoſthenem *contra Ariſtocratem*, Julium Pollucem 8. *cap.* 1. De repreſaliis, plura vid. apud Petrum Gregorium 58. *Syntag.* 8. Gailius in tractatu de pignorationibus, *cap.* 1. *num.* 5. 6. 7. ſcribit: Repreſalias dari ob juſtitiam denegatam: pignorationes vero imperiales ob turbatam jurisdictionem vel poſſeſſionem: Arreſtum quoque aliud eſſe, cum ex obligatione aliqua antecedente officio magiſtratus, & petente actore interdicitur reo, ne loco excedat. Reliqua de pignoratione & Repreſaliis vide apud eundem, & apud Bart. in tract. de Repreſaliis. Illud notandum conſtitutione Gregoriana clericos liberatos ab hoc jure, *d. c. un. de injur. in* 6. & a Frederico ſtudioſos, *Auth. habita. C. ne filius pro patre.* de repreſaliis, adde Bartolum Authentica. *Sed omnino. Cod. ne uxor pro marito.* 19 In principibus factæ, *Index Reginæ*, in imperatorem faciendæ, Julian. *conſt.* 46. *n.* 186. 20 Et contra jus. vid. tamen 23. *quæſt.* 2. *cap. docuimus.* 21 *l.* 1. *C. ut null. ex vic. pro alien.* 22 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Sed omnino. Cod. ne uxor pro marit.* Goth. Vid. Rittershuſ. *in expoſit. Novell. part.* 3. *cap.* 7. Anſ. 23 Πανηγύρεσι, *Scrimg.* Julianus *cap.* 185. ita ſi nundinarum gratia degentes in eo vico inveneris. 24 *d. l.* 1. 25 *l.* 1. *C. quando fiſc. vel privatus.* Goth. *l. unic. C. Ut nullus ex Vican. per alter. Novell. cap.* 7. Heig. *part.* 1. *quæſt.* 12. Anſ. 26 Hoc non vult, pignorantem alium pro alio corporali ſupplicio afficiendum, ſed ipſum pignoratum injuria adfici. 27 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Item & a privatis. Cod. de donationibus.* 28 Privatis facta donatio a Principe excedens ſummam 500. aureorum, *l.* 19. *Cod. de ſacroſ. eccleſ. l. ult. in fin. Cod. de quadr. præſcript. l.* 34. *verſ. exceptis. Cod. de don.* non indiget inſinuatione: ut nec facta principi a privatis, *ut hic.* 29 Qui non requirebantur lege Zenonis, *l.* 31. *Cod. de donat.* 30 Argumentum ab æquitate ſumptum obſerva. 31 *d. l.* 31. 32 Id eſt, anno 554.

33 Hac ſententia titulus hic apud Scrimgerum inſcriptus eſt: ut qui provincialem hominem extra territorium ſuum in jus producit, cautionem præbeat, quod niſi litem obtineat, præſtiturus ſit, quantum judex eum, qui calumnioſe exhibitus eſt, capere ſtatuerit. Eſt & ita conceptus apud Julianum *conſt.* 47. De reis ab alio loco in alium retrahendis ex divino nutu vel juſſu maximæ poteſtatis. huc pertinet *c.* 1. *c.* 2. *J. h. t.* Eſt & ita in indice Reginæ. De exhibendis reis. *Goth.* Ad materiam hujus Novell. ſpectat *Nov.* 69. 79. 89. 121. *cap.* 8. Anſ. 34 Seu evocandis ex longinquo territorio. unde hic titulus apud Julianum ita concipitur *c.* 187. De reis ab alio loco in alium retrahendis ex divino nutu, vel juſſione maximæ poteſtatis. 35 Ut exhibitiones fiant poſt 20. dies. *Index Reginæ.* Eſt & ita apud Julianum *d. loco. n.* 189. de admonitione reorum & in jus vocando. Hæc vero ſententia legitur in editione Scrimg. ut qui libellum ſuſcepit ad deliberandum, an judicio diſceptare velit, aut apud datum judicem litigare, viginti dierum ſpatium habeat, huc refer *cap.* 3. *J. h. t.* 36 De juratoriis cautionibus. Jul. *d. loco num.* 190. De his qui juratoriam cautionem præſtant. *Index Reginæ.* Quod qui poſt juratoriam cautionem in judicio non comparet, omnes litis impenſas actori perſolvat & deinceps cauſam dicat, datis fidejuſſoribus. *Scrimgerianæ editionis interpretatio:* huc pertinet *c.* 4. *J. h. t.* 37 De caſu militiæ. *Index Reg.* huc pertinet *c.* 5. *J. h. t.*

JUS

JUS HABENT: ET DE INDOTATIS [1] UXORIBUS, UT HABEANT QUARTAM PARTEM IN SUBSTANTIA VIRI, ET IPSE VIR IN SUBSTANTIA UXORIS, QUANDO INOPS EST [2] CUI [3] RELINQUITUR.

NOVELLA CONSTIT. LIII.

Imp. Juſtin. Aug. Joanni glorioſiſſ. prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

PLurimi adeuntes noſtram docent poteſtatem, quia exhibentur ab aliquibus, aut etiam in alias pertrahuntur provincias ex ſacra noſtra juſſione aut decretis judicialibus: & ad miſeriam quidem per hoc aguntur: coacti vero juſſionibus aut decretis exhibentur. Proinde qui eos exhibent, etiam cautiones exigentes, *quia intra certum tempus venient ad determinatum judicium ii qui ab eis conventi ſunt:* ipſi remaneant in provincia, affligi in peregrinatione ſumptibus exhibitum, aut præſentatum relinquentes.

CAP. I.

De reis ab alio loco in alium retrahendis [4].

HOc [5] igitur miſerantes, ſancimus ſi quid fiat tale, & tempus impleatur, quod in cautione exhibitionis aut præſentationis ipſe actor conſtituit, deinde ille quidem obſervet in judicio, actor autem deſit, & non intra decem [6] dies, poſtquam reus venerit in provinciam, actor occurrerit: reum quidem ingredientem apud judicem, & hoc docentem, repente dimitti, jurejurando autem ejus judicetur de omnibus expenſis, quas pertulit circa viam & circa peregrinam habitationem, & his judices addicant actorem convenientem fruſtra. Et quoniam [7] mos eſt non aliter fieri exhibitiones aut præſentationes, niſi actores fidejuſſores ad certam quantitatem dederint, quia exequentur cauſam, & ſuſcipient ſententiam, hanc quidem quantitatem omnino eos exigi, & dari fruſtra calumniam paſſo. Si vero per jusjurandum etiam plus aliquid declaraverit, (certa tamen quantitate definita a judice quam leges taxationem [8] vocant) etiam hoc ſuperexigi, ut cognoſcant non illudere vitas alienas, ſed in provincia eligere judices, & ibi contra ſuos adverſarios litigare.

CAP. II.

De cautione præſtanda ab his qui de proprio territorio ſibi obnoxios abſtrahunt.

QUia [9] vero ab actoribus fidejuſſiones plerumque novimus hic datas tanquam [10] in exhibendis perſonis: ſi vero in aliam deducantur provinciam, forte declinare hanc obſervationem: ſancimus hic judicem aut glorioſiſſimum quæſtorem noſtrum ſacris noſtris miniſtrantem literis, ſi quid tale agere [11] jubeatur: non [12] aliter ad aliam exhibere provinciam reum, antequam fidejuſſorem præbeat actor in quod futurus eſt reum deducere, quia dabit ſecundum locorum ſpatium aurum quantumcunque decretum fuerit fugienti [13], ſi non exequatur, aut exequens non vincat cauſam: & ibi omnia agi quæcunque in exhibitione decrevimus, definitum vero aurum, a fidejuſſoribus exigendum, & dandum ei, qui deductus eſt: præbendo quoque ab illo etiam jurejurando usque ad taxationem: ut ſi juraverit ſe etiam amplius expendiſſe, & hoc recipiat: ut undique videantur perfectæ noſtræ legislationes.

CAP. III.

Ut [14] *reo in jus vocato poſt libelli dationem viginti dierum induciæ dentur.*

ILlud quoque antiquitas quidem benefaciens diſpoſuit, nunc autem ſtudio machinantur noſtrarum legum clementiam [15] occaſionem facientes ſuarum calumniarum. vetuſtate namque volente conventionis factæ libellum [16] ſuſcipientem, diebus æque decem deliberationem habere, quo poſſit diſcutere cauſam, & forte etiam recognoſcere & liberari: poſt decem autem dierum [17] inducias tunc & ſubſcribere miſſo libello, & judiciales implere cautiones. Quidam vero reſpicientes ad noſtras leges [18] quæ poſt [19] litis conteſtationem neque refutare [20] judicem, neque alium petere judicem permittunt, cauſam arte machinantur, & maxime executoribus talia doloſe adinvenientibus, & mox ut oblata fuerit quælibet admonitio, forte neque libello dato neque judiciali ulla cautione, deducunt hominem invitum ad judicem datum: & nihil ſcientem compellunt facere litis conteſtationem, ut ſemel ſub litis conteſtatione conſtitutus obligetur, & nullam habeat licentiam neque refutare judicem, neque alium judicem petere, cum forte ſuſpectus judex ſit: & ſic agunt quæ volunt: & ſub ſuis artibus hominem ſtatuentes, quo volunt modo de eo agunt. §. 1. Sancimus igitur dum admonitio oblata fuerit alicui, modis omnibus offerri libellum: & non ſecundum antiquitatem decem ſolummodo dierum habere eum qui admonetur, inducias: ſed duplices, hoc eſt viginti [21], ut ſive repudiare voluerit, ſive etiam cum eo alium judicem petere, licentiam habeat hoc facere, aut forte cognoſcere debitum & liberare ſe ab adverſarii ſui contentione amicabiliter, & non per calumniam aut circumventionem ſub judice conſtitui forſan ſuſpecto & forſan ingrato, plerunque autem aliquid etiam proprium contra eum diſpenſante: & eo qui litem ſuſtinet, nullum habente tempus ad agnoſcendum ea in quibus conventus occurrit. §. 2. Suſcepto vero libello, ſola perſonali [22] fidejuſſione ab eo data, & ſportulis [23] ſecundum ſacram noſtram [24] præbitis conſtitutionem ſubſcribere libello [25], qui appellatur [26] reſponſionis: & declarare etiam tempus quo ei libellus datus eſt, ne etiam ob hoc ars quædam fiat: cumque futura eſt celebrari conteſtatio litis, apud judicem interrogari fugientem, ſi viginti dies tranſierint deliberationis: & illum quidem dicere veritatem: oſtendit quoque illud etiam ex die & ſubſcriptione [27] libelli, & ſi dixerit tranſiiſſe viginti dierum numerum, tunc [28] fieri litis conteſtationem. In medio [29] autem ei licentiam eſſe repudiare judicem, & alium petere: aut etiam cum eo judicem percipere, aut certe abſolvi amicabiliter: nihil in medio neque damnificando, neque ab executoribus conturbando: ſed & judiciariam cautionem exponentem, ſicut qui de his judicat, perſpexerit: & viginti dierum habentem deliberationem. Si vero hæc non ſerventur: licet videatur quædam fieri conteſtatio litis, pro nihilo eam eſſe, ſed licentiam eſſe, & poſt hujusmodi conteſtationem litis intra definitos viginti dies ſic omnia agere, tanquam ſi neque ab initio facta ſit quædam conteſtatio litis.

CAP. IV.

De juratoriis cautionibus.

SI [30] vero ſemel repudians judicem, alium acceperit: non ſinimus [31] ei eum qui petitus eſt, rurſus repudiare. Sicut enim ejus curam habemus, ſic etiam per dilationem [32] agi aliquid adverſus actorem, modis omnibus averſamur: ſi vero etiam quidam jurant quia obſervabunt: & antequam conteſtatio litis fiat, ab hac maxima diſpareant civitate, licentiam eſſe etiam non facta litis conteſtatione adire actorem ſtatutum judicem, & hoc denunciare. Illum vero (ſiquidem adminiſtrator [33] ſit) jubere omnimodo exhiberi reum tanquam perjurum [34] & pene ſui accuſatorem per fugam [35] factum. Si vero non adminiſtrat [36], ſed datus ſit a quodam judice ſive ex ſacra forma aut juſſione, aut etiam ab aliquo adminiſtratore: ad illum renuntiare, a quo datus eſt, ut deducatur ab illo: ne cauſa maneat actori undique deſolata, judice agere aliquid non valente, eo quod nondum apud eum facta ſit litis conteſtatio: illo contemnente legem & juramentum ſuum manifeſtatione ſua, & actorem extra omne legitimum adjutorium relinquere. §. 1. Igitur ne latente eo, & tardata exhibitione, cauſa maneat ſuſpenſa: examinet [37] ut potuerit judex in quam terram abiiſſe dicitur: & det inducias certas, ut niſi intra eas occurrerit, (liberam [38] tamen hujus rei fiduciam habens, ſi non forte ſtudio actoris impediatur, aut venire prohibeatur) tunc ſecundum unam [39] partem examinet negotium, & in poſſeſſionem mittat actorem rerum ejus ſecundum [40] menſuram declarati debiti: ipſumque in poſſeſſionem miſſum, habere etiam rem debiti ſervandi [41] cauſa: & tunc ſi ille occurrerit [42], omne ei prius ſalvet [43] damnum: & tunc recipiens res, & fidejuſſorem præſtans, proſequatur cauſam.

CAP. V.

De hypothecis militiarum [44] *ex caſu, quæ perſonæ & quando hoc jus habeant.*

OPtimum [45] quoque eſt etiam hoc propter dubitationum quæſtionem lege communi determinare. Primum namque fuerunt dubitationes plurimæ, utrum oporteat [46] militias ſub hypothecæ [47] deduci vinculis, an etiam his liberas eſſe: ſed hoc quidem jam definitum eſt lege [48]: & certæ conſiſtunt militiæ quæcunque vendi aut obligari poſſunt. Nos autem ex majoribus cauſam conſiderantes, ſcimus, quia ex antiquis temporibus non erat in militiis hypotheca, ſed quædam nomina omnino antiqua & deficientia in talibus efferebantur. Paulatim vero imperatores interpellantium [49] creditorum miſerati: hæc præbebant, cum utique omnis militia publica exiſteret, nullum quæſtum omnino alium quam ex imperiali munificentia habens. §. 1. Propterea igitur ſancimus ea quæ appellantur ex [50]

1 De inope muliere, quæ ſine dote nupta eſt, quæ quartam partem defuncti mariti capere debet. Jul. *d. loco, n.* 192. De his, qui ſine dote aut donatione propter nuptias præmortuo conjuge locuplete, inopi relinquuntur, ut ii ſcil. quartam partem præmortui conjugis conſequantur, ſive ſint liberi, ſive non ſint. *interpret. Scrimgerianæ editionis:* huc pertinet caput ſextum *J. h. t.* 2 Perſona ſcil. 3 Id eſt, quæ ſuperſtes manet. 4 *Sub.* ſine juſſu principis. Quid ſi retracti vel protracti fuerint ex longinquo? poſt decimum diem actorem operiri, ſeu expectare non coguntur: quin jurare in litem eis permittitur de expenſis in via & peregrinatione factis. 5 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Quod fieri. C. de dilationibus.* 6 Vid. *hic* Cujac. & *c.* 7. *de præſcriptionibus in fin.* 7 Jul. *c.* 187. 8 Reus vocatus in judicium, non comparente actore, viatica jurejurando æſtimat, quæ tamen judex taxabit moderatione adhibita. 9 Jul. *c.* 188. 10 Id eſt, in caſu, *c.* 1. *J. h. t.* 11 Id eſt, evocari reum ex ſua jurisdictione ad forum actoris, huc pertinet *l.* 58. *ff. de jud. c. noſtrum* 56. *x. de appellationib.* de evocationibus vide quædam apud Paponem 1. *arreſt.* 5. *n.* 24. 4. *arreſt.* 6. *n.* 27. Rebuffum *tom.* 1. *tract. de evocationib.* 12 *d. Nov.* 112. *c.* 2. id in aliis caſibus fieri non ſolet, & merito: utitur enim quadam via extraordinaria, id eſt, reſcripto principis, vel auctoritate præfecti prætorio ad reum extra ſuum territorium protrahendum. 13 Id eſt, reo. 14 De admonitione reorum ſeu in jus vocando Jul. *c.* 189. 15 Clementia nimia calumniam parit, calumniæque occaſio eſt. 16 Βιβλίον αἰτιάσεως, *adjournement*, libellus citationis. 17 Vid. *cap.* 4. *cauſ.* 3. *quæſt.* 3. *Nov.* 56. *c.* 2. *Nov.* 82. *c.* 10. Jure canonico tempus arbitrio judicis relinquitur. *cap. dilectus. x. De procurator. c. quoniam frequenter §. ſi vero. extr. ut lite non conteſtata.* Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 53. *num.* 20. Anſ. 18 *l.* 14. *in fin. C. de judic. l.* 4. *C. de jurisd. l.* 13. *C. de exceptionib. l.* 52. *ff. de judic.* 19 Poſt litis conteſtationem judex refutari non poteſt. 20 De refutatione judicis alias dixi, vid. *l.* 4. *C. de in jus vocando: l.* 12. *in pr. C. de jud.* adde Cujac. 9. *obſ.* 23. 21 Viginti dierum induciæ dantur reo, ad refutandum judicem. *Nov.* 96. *c.* 2. §. 1. vid. Cujac. *c.* 9. *de præſcr.* 22 Προσωπικῆς ἐγγύης, judicio ſiſti cautionem intelligit, quæ ſic dicitur ad differentiam judicatum ſolvi, quæ de re eſt, non de perſona. 23 Quas tamen, ſi abſolvetur, repetiturus eſt. *l. ult. C. de fructib. & lit. expenſ. l. ult. C. de adminiſtr. tutor. l. ult. C. de pr. agent. in reb.* §. 24. *Inſt. de act.* An ſolus reus dat ſportulas per conventionem? Placentinus putat. Cui objicitur *Nov.* 86. *c. ult. lex ult. C. de fructib. & lit. expenſ. lex ult. C. de agentib. in reb.* quod tamen Cujacio non placet. 24 *Nov.* 1[illegible]. *c.* 3. *Nov.* 123. *c.* 27. & 28. *Nov.* 82. *c.* 10. 25 Contradictionis ſc. *Jul.* 26 Τῷ καλουμένῳ ἀντιβίβλῳ βιβλίον αἰτιάσεως. *J. h. t.* eſt libellus conventionis, qui reo ab actore dari ſolet, *adjournement.* ſubſcriptio κατὰ βιβλίον. *J. h. t.* non fit ab actore, ſed a reo. vid. Jul. *hic, n.* 189. qui ex adverſo libello & epiſtographo fatetur, libelli exemplum ſe accepiſſe. ἀντιβίβλιον vero dare, eſt dare libellum reſponſionis: Galli, *reſpondre, fournir de reſponſes*, male igitur Haloand. hic ἀντιβίβλιον, exemplum libelli. 27 Ὑπογραφῆς τῆς κατὰ βιβλίον. *Scrimger.* 28 His addi cupio, quæ de litis conteſtatione ſcripſi ad *tit. Cod. de litis conteſt.* 29 Id eſt, ante viginti dies elapſos. 30 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Et qui jurat. C. de bon. aut. jud.* 31 Judex petitus repudiari non poteſt. 32 Dilationibus nimiis rei conventi actor non eſt opprimendus. 33 Id eſt, inter majores magiſtratus. 34 Qui juravit judicio ſiſti, nec comparet, ut perjurus, manu injecta, ſi poſtea reperitur, prehendi poteſt. 35 Fugitivus præſumitur jure deſtitui. Adverſus fugitivum præſumitur, adde *l.* 15. *C. de probat.* Fuga ſuſpectum reddit eum, qui fugit. Fugitivus damnato comparatur. *tit. C. de fugit.* 36 Id eſt, non ſit magiſtratus. 37 Inquiſitio laris domiciliique rei latitantis, judicis officio facienda præſentis in actoris gratiam. 38 Poteſt enim reus metu potentiæ adverſarii non comparere, *l.* 1. §. 3. *ff. de eo per quem.* 39 Κατὰ μίαν μοῖραν. *Scrimg.* id eſt, μονομερῶς. 40 Olim in univerſa bona mittebantur. *l.* 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ.* Goth. *l.* 6. §. *ſed ſi. Cod. de his qui ad Eccleſ.* 41 *l. pen. Cod. de pign.* id eſt, pignoris cauſa, ut creditor præſens in tantum modum jus habeat pignoris, quatenus eſt debitæ quantitatis modus, & hic quidem fructus eſt contumaciæ, de quo adde *l.* 73. *ff. & l.* 11. *C. de jud. l.* 2. *in fin. Cod. ubi in rem. l.* 8. *C. quomodo & quando judex.* 42 Integris omnibus bonis nondum venditis. 43 Servet, reſtituat. *l.* 15. *C. de jud.* 44 Τὰς ἐκ τοῦ καλουμένου κάτου στρατείας vocant Græci, 25. *Eclog.* 6. & Julianus hoc loco titulum facit, De caſu militiæ *c.* 191. 45 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Quod obtinet. Cod. de pignorib.* 46 Id eſt, liceat. 47 *l. ult. C. de pignorib. l.* 5. *C. qui milit.* 48 *d. l. ult.* adde *Nov.* 35. *in fin. J. Nov.* 97. *c.* 4. 49 Militiarum hypothecæ indultæ creditoribus. 50 Qui Titio pecuniam credidit, ut militaret, Titio defuncto, ſcholæ placito fruetur, Jul. *conſt.* 47. *num.* 191. id eſt, ea commoda feret, easque annonas vindicabit, jure hypothecæ, quas defunctus a fiſco percipiebat, ſi modo militia, de qua agitur, vendi potuit. *l.* 52. §. 2. *ff. de act. empt.* nam quæ vendi non poſſunt militiæ, pignorantur inutiliter, nec transferuntur in alium. *l. ult. C. de pign. l.* 3. §. 7. *ff. de muneribus.* Militia adjutorum quæſtoris. *Nov.* 35. ſilentiariorum, *l.* 30. §. *ult. C. de inoff. teſt. l. ult. C. de ſilentiar.* Jul. *hic*, *domeſticorum*, *arg. l.* 6. §. 3. *C. de advoc. diverſ. judic.* vendi poteſt: ergo & pignorari, *l.* 9. §. 1. *ff. de pign. l.* 1. *C. ſi aliena res pignor.* Certaminum commoda non poſſunt pignorari, *l.* 5. *C. quæ res pign. oblig.* poſſunt tamen ex cauſa judicati capi, *l.* 4. *C. de re jud.* ut & ſtipendia armatorum militum, *l.* 4. *C. de execut. rei jud.* & eodem modo commoda eccleſiaſtica. vid. *hic Cujac.*